materiæ radiantis punctorum, in una superficie congregatis; quæ non propriè dicitur imago, sed tamen in Opticis, vix minorem habet efficaciam, quàm imago ante oculum.

12. *Visibile est, sive materia radians, sive imago ante, sive post oculum; sæpius tamen usurpatur, pro materiâ radiante, præsertim ubi sermo etiam est de imagine.*

13. *Diameter visibilis, est distantia inter quælibet duo puncta extrema, & opposita.*

14. *Centrum visibilis, est diametri punctum medium.*

15. *Angulus visorius, est angulus comprehensus a duobus radiis, extremorum visibilis punctorum, in centro oculi, se invicem secantibus.*

16. *Sectiones Conicæ sunt, circulus, ellipsis, parabola, hyberbola, linea recta.*

17. *Sectionis conicæ linea, seu circumferentia, est communis sectio plani secantis cum superficie coni.*

18. *Linea recta dicitur esse circumferentiæ sectionis conicæ perpendicularis; cum secat contingentem in puncto contactus ad angulos rectos.*

19. *Superficies conicæ, sunt superficies figurarum, ex revolutione sectionum conicarum circa proprios axes, genitarum.*

20. *Speculum est corpus opacum, & politum, ab una superficie conicâ comprehensum.*

21. *Lens est corpus diaphanum, & politum, a duabus superficiebus conicis, communem axem habentibus, comprehensum.*

22. *Axis lentis, vel speculi, est idem cum axe superficierum conicarum, a quibus comprehenditur.*

23. *Vertices lentis, vel speculi, sunt eadem cum verticibus superficierum conicarum, a quibus comprehenditur lens vel speculum.*

24. *Vertex incidentiæ, est illa, in quam incidunt radii: vertex emersionis, illa, ex qua emergunt: Unde patet, in speculis has vertices esse unam; in lentibus vero diversas.*

25. *Crassities lentis, est verticum distantia.*

26. *Diameter lentis, vel speculi, est distantia inter duo ipsius puncta extrema & opposita; & proinde centrum lentis, vel speculi, est diametri punctum medium.*

27. *Angulus radiosus, est angulus comprehensus a centro visibilis, & diametro lentis, vel speculi.*

28. *Axis*